

fuit iterare baptismum, et actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. Non omnis, ff. de rebus creditis. Quæ ratio solum probat illum actum ex defectu intentionis non esse sacramentum, etiam si illud alias esset possibile; hinc tamen ulterius colligimus, actum illum vere in ratione culpæ non esse peccatum consummatum rebaptizandi, sed esse tantum imperfectum in eo ordine; et ideo non esse sufficiens ad contrahendam irregularitatem, quia hujusmodi pœnæ Ecclesiasticæ, quæ imponuntur propter aliqua delicta, simpliciter et absolute intelligendæ sunt de delictis perfectis et consummatis in suis speciebus.

41. Exemplum optimum ad rem hanc declarandam et confirmandam est in eo, qui exterius hæresim profitetur, veram fidem animo et mente retinens; nam juxta communem sententiam ille non incurrit pœnas, et censuras hæreticis impositas, quia revera non est simpliciter hæreticus, sed solum cum addito, scilicet exterior hæreticus, seu fictus; sic ergo in præsentî, qui sine intentione exterius iterat baptismum, revera non est rebaptizator, sed fingit se rebaptizatorem, et ideo, quamvis in hoc etiam graviter peccet, non tamen proprie illa culpa, propter quam irregularitas est imposita. Quod etiam ex fine hujus pœnæ confirmari potest; imposita enim est in odium hæreticorum, introducentium rebaptizationes; qui autem sine intentione operatur, non facit animo hæretico, nec proprie convenit cum hæreticis in actione sua, ut ab ejus intentione procedit. Neque contra hoc urget ratio in principio posita, quia licet Ecclesia per se non præcipiat, vel prohibeat actus interiores, prohibet tamen exteriores, ut ab interioribus manantes, et ita etiam prohibet interiorem, ratione exterioris, seu ut principium ejus, et eodem modo punit aliquando aliquem exteriorem, ut a tali interiori manantem, et non alias; quia ergo rebaptizatio, simpliciter dicta, significat actum exteriorem procedentem ex intentione dandi sacramentum baptismi homini jam baptizato, ideo quando actus exterior ab illa intentione non procedit, non est sufficiens ad irregularitatem inducendam.

42. *Dubium quintum.* — Qui rebaptizat sub conditione expressa, non incurrit irregularitatem. — Atque ex hac doctrina, quæ mihi certe satis fundata videtur, definiendum est quintum dubium, quod hic occurrere solet de rebaptizantibus sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta, an incurrant

hanc irregularitatem. Soto enim, in 4, d. 3, art. 9, sub distinctione respondet, eum qui temere, et nulla diligentia adhibita sic rebaptizat, manere irregularem; non vero qui, morali ac probabili diligentia adhibita, bona fide id facit; et de hæc posteriori parte nulla est dubitandi ratio, ut a fortiori patebit ex his, quæ sequenti dubio dicemus; ratio vero prioris partis esse potest, quia ille graviter peccat rebaptizando, et illa conditio moraliter habetur pro non adjecta; quam sententiam sumpsit Soto ex Victoria, ut constat ex Summa ejus in 4, materia de baptis., § 36, et Corduba in Sum. Hispan. quæst., hanc opinionem sequitur dicens, et veram, et communem esse. Nihilominus tamen mihi longe verior videtur sententia Navarr., loco cit. negantis, in eo casu incurri irregularitatem. Vide Palaci., 6, quæst. 6, col. 3; Majol., lib. 3 de Irregul., cap. 44, n. 5. Ratio sumenda est ex resolutione præcedentis dubii, quia illa actio non procedit ex intentione dandi baptismum homini baptizato; ergo non est rebaptizatio simpliciter, neque peccatum in ea specie consummatum. Item, quia conditio ipsa, sive prudenter, sive inepte addita, suspendit, quantum in se est, actum illum; atque ita impedit formalem rationem rebaptizationis. Tandem, quia ille in eo facto non est imitator hæreticorum, ut a tali intentione conditionata procedit. Neque auctores contrariæ sententiæ aliquid in contrarium afferunt; Soto enim solum id probat, quia forma baptizandi sub conditione solum permittitur in casu dubii; sed hoc probat, id esse peccatum; non tamen propter illud esse irregularitatem impositam; illud enim est expressum in jure, hoc vero minime, quia illa non est rebaptizatio simpliciter. Unde, licet illa conditio moraliter censeatur pro non adjecta, quantum ad hoc, quod non excusat a temeritate, et culpa sacrilegii, aliquid vero operatur, et magni momenti est, quantum ad hoc, quod tollit intentionem, et suspendit actum, et consequenter facit, ut illa non sit rebaptizatio simpliciter, ac denique propterea excusat ab irregularitatis pœna.

43. *Dubium sextum.* — Quando ignorantia excusat a peccato mortali non incurritur irregularitas, contra vero, si non excuset. — Sextum dubium esse potest, an, qui ob ignorantiam rebaptizat, non sub conditione (de hoc enim jam dictum est) sed absolute, incurrat pœnam irregularitatis. Hoc dubium tractat Scot. in 4, d. 6, quæst. 8, et imprimis distinguit de ignorantia facti, vel juris;

deinde, de ignorantia culpabili, vel inculpabili; et primo dicit, si ignorantia sit facti, et talis, ut excuset a culpa, etiam excusare ab irregularitate; et in hoc omnes conveniunt, quia est certissimum; hæc enim irregularitas est pœnalis; et ideo, ubi non est culpa, non incurritur talis pœna. Quod aliqui tam stricte et rigore intelligunt, ut requirant omnino carentiam culpæ, tam venialis, quam mortalis, ita ut si ignorantia talis sit, ut excuset a culpa mortali, non autem a veniali, non sufficiat ad impediendam irregularitatem. Ita sentit Corduba supra. Mihi tamen hoc videtur incredibile, tum quia tam gravis pœna non imponitur, nisi propter mortalem culpam; tum etiam quia ille actus, ut culpabilis est, non est perfecte humanus, sed indeliberatus, ratione ignorantie; nam, cum ex parte objecti et materiæ sit sufficiens gravitas ad peccatum mortale, non potest actus a tali culpa excusari, nisi propter indeliberationem turpitudinis actus, quam ignorantia causat; propter actum autem imperfecte humanum, et indeliberatum non incurritur irregularitas; quacumque ergo ratione ignorantia excuset a peccato mortali, excusat ab irregularitate, etiamsi aliqua levis negligentia, vel venialis culpa misceatur. Secundo, quando ignorantia facti non excusat a culpa mortali, docet Scotus, non excusare etiam ab irregularitate. In quo etiam omnes illum sequuntur propter contrariam rationem, quia, qui non excusatur a culpa, non excusatur a pœna; illa autem culpa est simpliciter talis in sua specie, et ejusdem rationis cum rebaptizatione scienter facta.

44. *Objectio.* — Solum potest objici ex principio posito in 4 et 5 dubio, quia ille, qui ex hujusmodi ignorantia rebaptizat, non habet intentionem rebaptizandi, sed baptizandi tantum hominem, quem putat non esse baptizatum; sed qui baptizat sine intentione rebaptizandi absolute, non incurrit irregularitatem, ut dictum est. Et confirmatur, quia hoc ipso, quod propter ignorantiam facti rebaptizat, virtute et implicite habet in animo hanc conditionem baptizandi tantum eum, qui non est baptizatus; ergo hoc satis est, ut ille non incurrat irregularitatem. Tandem confirmatur, quia ille ex intentione sua non rebaptizat animo hæretico, neque in eo facto hæreticos imitatur; ergo non videtur contra eum lata hæc juris pœna.

45. *Solutio.* — Fateor quidem, has rationes esse apparentes, et alicui videri posse proba-

biles, præsertim in materia odiosa, quæ restringenda est, et maxime, cum hæc irregularitas tam evidenter et formaliter in jure non sit expressa. Nihilominus tamen in re mortali et gravi non est a recepta sententia recedendum; et ideo ad argumenta dicendum est, ad incurrendam pœnam non esse necessariam intentionem rebaptizandi formaliter, ita ut sub directo objecto illius intentionis cadat hoc totum, scilicet baptismus iteratus. Neque hoc dictum est a nobis in superioribus, sed solum necessariam esse intentionem dandi sacramentum baptismi homini jam baptizato; hanc autem intentionem habet etiam ille, qui ex ignorantia rebaptizat, quia licet non cognoscat, illum esse baptizatum, tamen simpliciter vult baptizare hunc, qui est baptizatus; et facile posset, ac deberet scire illum esse baptizatum; et quoad hoc satis convenit cum hæreticis in facto ipso, licet non omnino conveniat in animo, quod satis est; nam, licet hæc irregularitas posita sit in odium hæreticorum, non tamen est imposita solis hæreticis, sed omnibus imitantibus hæreticos in absoluta rebaptizatione; quapropter consulendum semper est, ut in his casibus addatur conditio, nam illa posita tollit omne periculum irregularitatis.

46. *Objectio.* — *Solutio.* — Quid qui per vim, et metum rebaptizat. — Sed quid, si tanta est, tamque probabilis dubitatio prioris baptismi, ut sine culpa possit iterum sub conditione dari, minister autem non det illum absolute, sed sub conditione contra ordinationem Alexandri III in cap. 2 de Baptismo? nunquid incurreret irregularitatem, si fortasse in re ipsa rebaptizet? Respondetur cum Navar. supra, non incurrere, quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum, ut dicit Innocentius III in c. unico de Clerico per saltum promoti. Et Felix Papa in c. Solemnitates, de Consecr., dist. 4. Tertio, quando rebaptizatio fit per ignorantiam juris, Scotus absolute sentit, non excusare ab irregularitate, quia aut est ignorantia juris ecclesiastici, aut divini; prior, quæcumque illa sit, etiam invincibilis, nihil refert, quia, cum hoc peccatum sit contra jus divinum, ignorantia solius juris humani non potest esse simpliciter de culpa, sed ad summum de pœna irregularitatis, solo jure humano imposita; ignorantia autem solius pœnæ non excusat quominus, ratione culpæ, eadem pœna irregularitatis contrahatur; nam, licet de excommunicatione sit in hoc specialis controversia

et difficultas, quam suo loco tractabimus, de irregularitate vero nulla esse videtur dubitandi ratio, ut patet etiam de irregularitate homicidii, et de aliis similibus. Licet Castro, lib. 2 de Lege pœnal., cap. 14, contrarium sentire videatur, sine fundamento et contra communem sententiam; juxta quam etiam hæc pars est recepta sine controversia. Posterior autem ignorantia (ait Scotus) non excusat a peccato, quod sine probatione, vel majori explicatione assumit. Sed, ut recte Soto notavit dicto art. 9, non videtur impossibile hoc jus divinum de non rebaptizando, esse ab aliquo invincibiliter ignoratum, quia non est tam per se notum, ut nullus, quantumvis rusticus, vel idiota, possit illud ignorare; maxime quia posset aliquis decipi ab uno vel pluribus viris doctis, et fide dignis, saltem secundum communem existimationem. Posset ergo tunc ille error esse inculpabilis in homine simplici, qui per se ipsum nec debet, nec potest hujusmodi res fidei examinare. Quacumque ergo ratione contingat hanc ignorantiam esse invincibilem, excusabit a culpa, et consequenter etiam ab irregularitatis pœna, quod Soto dubitanter affirmat; sed non video dubitandi rationem, cum constet, hanc irregularitatem non esse introductam ob significationem aliquam, sed præcise in pœnam, quæ cessat, cessante culpa. Quæret vero aliquis, an idem sit dicendum de rebaptizante per metum, quia ille etiam videtur involuntarie rebaptizare. Respondetur, illud tantum esse involuntarium secundum quid, quod non excusat a gravi culpa sacrilegæ iterationis baptismi; et ideo neque etiam excusat ab irregularitatis pœna, nisi fortasse solam exterioriorem actionem quis faceret ex tali metu absque intentione faciendi sacramentum, ut dictum est. Vide Majol., libr. 3, de Irregularit., cap. 44, circa finem.

47. *Dubium septimum.* — Septimo inquiri potest circa formalem casum et decisionem illius textus, de illo acolyto, qui presbytero baptizanti ministravit, cur dicatur irregularitatem incurrisse; et eadem quæstio nunc est de quolibet sic ministrante. Et ratio dubitandi est, quia hujusmodi minister non potest cooperari ad substantiale ministerium baptismi, sed ad summum, ad aliquem ritum accidentalem. Unde in prædicto Concil. Lateran., part. 26, cap. 4, sic dicitur: *Astitit autem huic sacrilegio adolescens acolytus, et ministerium exhibuit in respondendo presbytero baptizanti, et cooperator extitit rei ne-*

*fandæ.* Nihil ergo cooperatus est, aut ablationi, aut prolotioni verborum formæ, neque ad hæc oportebat aliquid respondere, sed solum ad cæteras orationes, quæ in cæremoniis dicuntur; ergo ille proprie nullo modo contraxit culpam rebaptizantis; ergo nec pœnam. Atque hinc oritur simul octava dubitatio, an propter solam iterationem baptismi, quoad accidentales ritus, incurratur hæc irregularitas, si non iterentur ea, quæ sunt substantialia sacramento. Et ratio dubii sumitur ex dictis, quia si acolytus manet irregularis solum cooperando iis cæremoniis, multo magis presbyter illas iterando; vel e contrario, si hic, qui est principalis operans, ex hoc capite præcise non fit irregularis, neque etiam manebit minister cooperans. Respondetur ab ultimo dubio incipiendo, propter solam cæremoniarum iterationem non contrahi irregularitatem hanc, quia solum est propter peccatum rebaptizandi injuncta. Unde, si quis puerum semel solemniter baptizatum, vel metu mortis, vel alia de causa fingeret se iterum solemniter baptizare, et omnes cæremonias efficeret, veram autem formam non proferret, non maneret irregularis, quia non est rebaptizator; e contrario autem, si substantialia iteraret, etiam sine cæteris requisitis, irregularis maneret. Quin potius dicunt aliqui, iterationem harum cæremoniarum non esse ita prohibitam quin, si casu contingeret, in baptismo solemniter committi substantialem et essentialiter defectum, dandus sit postea baptismus essentialiter completus, omnes solemnitates iterando; ita Anton., sup.; Ledesm., 4, part. 4, quæst. 7, art. 9, dub. 5. Sed hoc mihi non probatur; censeo enim, in eo casu repetenda esse substantialia, omissis accidentalibus, quia ita cautum est in jure, ut in hujusmodi defectibus solum suppleantur ea, quæ desunt; item quia illa accidentalia in suo ordine fuerunt completa; et licet propter baptismum instituta sint ab Ecclesia, non tamen necesse est, ut cum illo sint semper tempore conjuncta; ut patet, quando ob necessitatem prius antecedit substantialis baptismus, et postea cæremonialia supplentur. Et hinc ad septimum dubium respondetur, eum, qui ministrat presbytero solemniter rebaptizanti, manere irregularem propter decisionem illius textus; hanc autem irregularitatem non contrahi præcise, quia cooperatur cæremoniis, sed quia cooperatur aliquo modo iterationi baptismi; sic enim in textu dicitur: *Coope-*

*rator extitit rei nefandæ;* hæc autem res nefanda non est in accidentalibus, sed in substantialibus ritibus baptismi iteratione. Unde etiam si in illo baptismo non iterarentur solemnitates, v. gr., quia in priori fuerunt prætermisæ, nihilominus acolytus maneret irregularis; e contrario vero, etiamsi cæremonia essent iterandæ, si tamen baptismus, quoad substantiam non repeteretur, non maneret irregularis. Ratio ergo illius irregularitatis est cooperatio ad iteratum baptismum: nam, licet acolytus non concurrat, proxime ministrando aliquid substantiale, tamen quia ministrat illi actioni morali, ad totam illam cooperari censetur, sicut cooperatur sacrificio, qui sacerdoti offerenti ministrat. Et hæc de rebaptizante.

48. *Quam pœnam incurrat rebaptizatus.* — Circa rebaptizatum etiam in jure civili ei imponitur pœna capitis in legibus supra citatis, et in epist. 4 Felicis III, supra etiam citati; variæ etiam pœnæ hujusmodi rebaptizatis imponuntur, ut patet in cap. Eos quos, de Consecrat., dist. 4, quas partim supra retulimus; sed illæ jam non sunt in usu; neque ibi fit ulla irregularitatis mentio. In cap. autem, Qui bis, eadem dist., aperte ponitur hæc irregularitas; dicitur enim, qui baptizatus est bis, secundum canones ordinari non posse, nisi magna aliqua necessitas cogat; ille tamen textus per se non habet auctoritatem ad hanc irregularitatem inducendam; non enim est alicujus Pontificis, vel generalis Concilii, ut Scotus et post eum alii notarunt, ut infra dicemus, sed desumptum est ex Pœnitentiæ Theodori, cap. 44, ut est apud Burchardum, lib. 4 Decret., cap. 51. Apertius colligitur hæc irregularitas ex dict. epist. Felicis III, cap. 5, et habetur in cap. Qui in qualibet, 4, quæst. 7, ubi aperte declaratur, hanc irregularitatem non solum a susceptione, sed etiam ab usu ordinum impedire. Solum potest dubitari, quia ibi solum fit mentio de iis, qui alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt; ergo, qui in Ecclesia et a Catholicis rebaptizati fuerint, non incurret hanc irregularitatem. Respondetur tamen, eam legem generaliter esse intelligendam; ita enim et ab omnibus intellecta est, et communi usu suscepta, quia, qui rebaptizatur, in eo facto ita se gerit, ac si esset extra Ecclesiam. Unde in Concil. Carthag. V, capit. 11, et habetur in cap. Confirmandum, ac dist. 50, absolute dicitur: *Nunquam permittendum est, ut rebaptizati*

*ad clericatus gradum promoveantur.* Item colligitur ex Concil. Toletan. IV, cap. 48, et habetur in cap. Qui in aliquo, dist. 51. Quod ergo baptizatus fiat irregularis certum est; intelligendum autem est juxta supra dicta de rebaptizatione absolute et sine conditione, et cum intentione iterum suscipiendi baptismum, propter rationes ibi factas, quæ eodem modo hic applicari possunt.

49. *Quid qui ignoranter rebaptizantur.* — Solet autem de hac irregularitate specialiter dubitari, an contrahatur, etiam ab his, qui ignoranter rebaptizantur; nam quidam auctores, præsertim canonistæ, ita sentiunt, ut refert Covar. in dict. Clement. Si furiosus, in princip., num. 8, et in eam inclinat Richardus in 4, dist. 6, art. 4, quæst. 2; Paludan., dist. 6, quæst. 4, art. 1, quem sequitur Antoninus, 3 part., tit. 14, cap. 13, § 12. Fundatur hæc opinio in dict. cap. Qui bis; ibi enim dicitur, etiam illos, qui bis ignoranter baptizati sunt, manere irregulares, et plane loquitur de ignorantibus invincibiliter; nam dicit, eos pro eo facto non indigere pœnitentia; quod non recte a quibusdam exponitur de iis, qui per ignorantiam juris culpabilem rebaptizari se sinunt, qui dicuntur non indigere pœnitentia apud Deum, sed illa Ecclesiastica pœnitentia, quæ imponitur his, qui scienter rebaptizantur; est enim valde violenta hæc expositio, ut ipsa verba satis per se ostendunt; et ex fine ejusdem capitis constat, ubi triennalis pœnitentia imponitur his, qui non pro vitio, sed pro munditia ex ignorantia rebaptizantur. Melior ergo responsio est, textum illum per se non habere auctoritatem, ut supra dicebam. Sed augetur difficultas, quia ibidem dicitur, ita esse in canonibus statutum, et videtur sane indicari decretum Felicis III, dicto cap. Qui in qualibet, ubi dicitur, rebaptizatos in qualibet ætate manere irregulares; ergo etiam rebaptizatos in infantia, cum tamen illi maxime ignoranter rebaptizentur; ergo eadem ratio erit de omnibus ignorantibus rebaptizatis. Nihilominus contraria sententia, et vera, et communis est. Eam tenet Scotus in 4, dist. 6, quæst. 8; Soto, in dicto art. 9; Navar., cap. 27, num. 246; Covarru. supra; et Sylvester, verb. Irregularitas, quæst. 4; Turrecremata, dicto cap. Qui bis, de Consecrat., dist. 4, part. 7. Quæ in hunc modum declaratur, et probatur: nam in primis, si aliquis in infantia rebaptizetur, non manet irregularis, ut a simili colli-

gitur ex cap. Placuit, et cap. Qui apud, de Consecrat., dist. 4, ubi dicitur, infantes, etiam si ab hæreticis baptizentur, non ideo manere irregulares; per quæ jura explicandum est citatum caput Qui in qualibet, ubi sermo est tam de baptizatis, quam de rebaptizatis extra Ecclesiam. Si ergo illa lex non comprehendit infantes baptizatos ab hæreticis, neque etiam comprehendit rebaptizatos; cum ergo dicit: *In qualibet ætate*, intelligendum est de ætate adulta, in qua jam homo possit ratione uti. Unde ulterius fit, etiam esse interpretandam hanc legem de iis, qui scienter et voluntarie rebaptizantur; nam, si requiritur adulta ætas, solum est, ut homo sit capax culpæ et propriæ voluntatis. Item, si excluduntur infantes, ideo est, quia excusantur a culpa; ergo idem erit etiam de adulto, quacumque ratione a peccato excusetur.

20. Tandem hæc irregularitas, etiam respectu rebaptizati, imposita est in pœnam, et non ob aliquam specialem indecentiam, aut significationem; alias etiam infantibus esset imposita; ergo, si ignorantia talis est, quæ excuset a culpa, excusat etiam a pœna. Sed dicunt Richard., Palud., Antonin., Sylvest., et alii, licet hoc sit probabile, tutius tamen esse dispensationem ab Episcopo petere; sed certe, si propter dubium dispensatio petenda est, ab eo est petenda, qui habet potestatem dispensandi in hac irregularitate. Solus autem Papa potest cum rebaptizato dispensare, sicut et cum rebaptizante. Re tamen vera non est necessarium, talem dispensationem petere; nam res tam clara videtur, ut nullum possit practicum dubium generare.

21. Quin potius addo contra eosdem auctores ultimo loco citatos, etiamsi rebaptizatus postea sciat, quid circa illum actum sit, et ratum habeat, ac consentiat, non manere irregularem, quia hujusmodi consensus non facit priorem actionem, vel potius passionem, voluntariam aut culpabilem, sed est novum peccatum, vel internum, vel etiam externum, cui nulla est irregularitas in jure imposita. Sicut, si quis casu et omnino sine culpa occi-

deret hominem, nec tunc fieret irregularis, nec postea, etiam si, viso effectu, gauderet, quia illud gaudium non est propriè voluntarium homicidium, cui est irregularitas injecta; sic ergo est in præsentibus. Sed quæres, an idem dicendum sit de eo, qui per vim et metum rebaptizatur. Sylvester, verbo Irregularitas, num. 4, ex Innocen. in cap. Eos quos, de Consecr., dist. 4, respondet, si fuit absoluta coactio, non manere irregularem; secus vero, si fuit tantum conditionata seu per metum; quæ fuit etiam opinio Glossæ in dict. cap. Eos quos. Ego vero dicerem, si ille habeat intentionem, ut rebaptizetur, revera manere irregularem, quia ad hanc intentionem cogi nullo modo potest, neque ipse debet voluntarie illam adhibere; alias graviter peccat peccato rebaptizationis et ideo irregularis manet. Si vero talem intentionem non adhibeat, sive per absolutam vim, sive per solum metum cogatur ad exteriorem receptionem ablutionis, non manebit irregularis. Imo, si metus sit gravis, nihil peccabit non resistendo, dummodo nec exterius significet se consentire, quia in reliquo nihil operatur, sed patitur potius. Quod recte potest a simili confirmari ex cap. Constat, 1, quæst. 1. Sed potest inde sumi argumentum contra priorem partem hujus responsionis; ibi enim dicitur, eos, qui inviti ordinantur ab hæreticis, non manere irregulares, quod est verum, etiam si illi habuerint intentionem recipiendi ordinem. Respondetur esse disparem rationem, nam ille non tenetur non habere intentionem, supposito quod minister sit sufficiens et essentialia adhibeat, quia ipse est capax talis sacramenti; sicut, qui invitatus baptizaretur ab hæretico, posset sine culpa habere intentionem, quia est capax; secus est de rebaptizato, quia est incapax. Ultimo dubitari potest, an hæc irregularitas extendenda sit ad iterantem sacramentum confirmationis, sed de hoc dicemus in disputatione morali de illo sacramento, cujus tractationem aggredimur. Nam de sacramento baptismi satis disputatum est.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

*Consequenter considerandum est de sacramento confirmationis.*

Et circa hoc quærentur duodecim.

1. *Utrum confirmatio sit sacramentum,*
2. *De materia ejus.*
3. *Utrum sit de necessitate sacramenti, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.*
4. *De forma ipsius.*
5. *Utrum imprimat characterem.*
6. *Utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismalem.*
7. *Utrum conferat gratiam.*
8. *Cui competat recipere hoc sacramentum.*
9. *In qua parte.*
10. *Utrum requiratur aliquis, qui teneat confirmandum.*
11. *Utrum hoc sacramentum per solos Episcopos detur.*
12. *De ritu ejus.*

*Quare sacramentum confirmationis sit ordine secundum.* — Post tractationem de sacramento baptismi D. Thom. et Magist. cum cæteris Theologis in 4, dist. 7, de confirmatione disputant, secundum ei locum in ordine sacramentorum tribuentes, non tam dignitatis, aut necessitatis, quam temporis et generationis ordinem considerantes. Sacramentum enim confirmationis proxime post baptismum tradendum est, ut antiqua etiam Ecclesiæ consuetudine fuit observatum; nam licet interdum Patres significant, Eucharistiam solitam esse dari immediate post baptismum, ut ex Hier., Dialog. contra Luciferianos; et ex Ambr., lib. de His qui initiantur, cap. 7 et August., epist. 23, sumitur, id tamen, per se loquendo, intelligendum est post sacramentum confirmationis, quod post baptismum statim conferebatur, ut esset veluti perfectio et consummatio ejus, ut ex eodem Ambr. eodem lib. de Mysteriis, cap. 7,

in fine, et lib. 3 de Sacram., cap. 1 et 2, constat, et ex Dionys., cap. 2 de Eccles. Hierarch. dicente: *Hierarcha, cum virum unguento, quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronuntiat.* Idem tradit Cyrill. Hierosol., Catechesi 3 Mystagogica, et alii infra referendi. Unde Eugenius Papa in decreto fidei: *Per baptismum, inquit, spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia.* Præcedit ergo confirmatio Eucharistiam. Atque hoc sensu accipiendum est, quod ait Melchisedes Papa, epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 3: *Ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta (agit de baptismo et confirmatione) ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest.* Quod enim ait, *rite*, intelligendum est, id est convenienter, et cum consummata hominis perfectione. Hinc denique Rabanus, lib. 4 de Instit. Cleric., cap. 28, dicit, caeremonialem unctionem chrismatis, quæ post baptismum fit in vertice, ideo esse ab Ecclesia introductam, quia non semper poterat adesse Episcopus, qui sacramentum confirmationis daret. Est itaque hoc sacramentum generatione, seu ordine, et usu secundum; et ideo, et secundo loco numeratur, et eodem ordine de eo disputatio instituitur, quamvis a nonnullis auctoribus propter speciales causas interdum hic ordo immutetur, ut sequenti quæst. in initio disputationum de Eucharistia notabimus.

ARTICULUS I.

*Utrum confirmatio sit sacramentum (sup. quæst. 65, art. 1; et 4, dist. 2, quæst. 1, art. 2, corp., et dist. 7, quæst. 1 per tot.; et 4 con., cap. 58).*

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta*